

05

A

2204



12

I

I
J.



12920

DISPUTATIO JURIDICA

De

EMPTIONE

VENDITIONE,

Quam

Adspirante Divina Clementia

ET

Approbante Magnifico & Amplissimo

Collegio Juridico.

Sub

PRÆSIDIO

VIRI

Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi

DN. GOTTFRIEDT SVEVI

J. U. D. Prof. Publ. Celeberrimi, Curia Electoralis,

Scabinatus & Facultatis Juridicae Assessoris gravissimi,

Patroni, Praeceptoris & Hospitis sui aetatem

venerandi

Publico Examine subijcitur

CHRISTOPHORUS Kundenreich

Colberg. Pomer.

In Auditorio Jctorum

ad diem Januarij. 3 Febr.

WITTEBERGÆ

Character Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

ANNO 1648.

Viro Admodum Reverendo, & Excellentissimo DN. M. Joac. Faschis, Theol. Cathedr. Colb. & Canon. meritorum, et Cons.

V I R I S

Prudentissimo, Spectatissimis & Integerrimis

DN. CHRISTOPHORO Kundenreich/Reipubl:

Patriæ Senatori,

DN. EBERHARDO Kundenreich/

DN. LUCÆ Kundenreich/

DN. LUDOVICO Kundenreich/

Reipubl: Patriæ Ci-
vibus & Nego-
tiatoribus.

*Hanc Disputationem Juridicam
In testimonium*

Erga Dn. Parentem filialis observantiæ
& gratitudinis,

Fratrem fraterni amoris,
Agnatos debiti honoris & favoris

Exhibet & inscribit

Christophorus Kundenreich

Auth. & Respond.



05 A 2204



DISPUTATIO JURIDICA

De

EMPTIONE-VENDITIONE.

Thesis I.

EMPTIO (a) VENDITIO (b) est Contractus (c) solò Consensu (d) initus de re (e) Emptori (f) pro certò pretiò (g) tradenda. (h)

(a) Quam deducimus ab *ἔμων* meum: quia in ea id agitur, ut res fiat Emptoris *Wesemb. Instit. ad rubr. hujus tit. Förster. disp. 18. tb. 1.* & accipimus pro eâ alienatione, quæ fit propter pretium; secus ac Lex XII. Tab. quæ emptionis verbò omnem alienationem complectitur *l. 29. de stat. lib.* unde & hunc contractum dignum censuit, sub cuius, ut justissimi nomine omnis ferè solennis familiarum mutatio & translatio, licet saltem imaginariò modò celebraretur *Wesemb. τ. de contr. empt. n. 1. Hænon. lib. 1. disp. 16. thes. 1.* (b) à venundo, vel venum do: factò enim venditoris res venit, & transfertur in alium. Rectè autem hic contractus duobus diversis nominibus insignitur, cum videamus in eò concurrere duas personas earumdemq; mutua facta: Emptoris Ementis, Venditoris vendentis. Quin tamen nonnunquam alterum nomen pro utroque, ita ut Emptio, itemq; venditio seorsim posita, pro totò contractu & negotio, quod ab Emptore & venditore peragitur, accipiatur, non difformemur, sed cum *l. 19. de action. Empt.* asserimus. (c) Quò ob ejus frequèntiam & æquabilitatem nullus nobilior est: in causâ autem Nummus est, qui ex quò esse cœpit, & difficultas in permutatiohibus est sublata, & rei cum pretio æqualitas introducta

introducitur. Nummus enim est quasi mensura & ponderatio, quæ pro rerum varietate & augeri & minui potest. *Vid. l. 1. de Contr. Empt. (d)* in aliis quidem contractibus etiam requiritur consensus, sed tantum ut materiale, neq; solus; quia præter eum desideratur, vel rei traditio vel solennitas verborum, vel Scriptura: In hoc vero sicut in aliis contractibus consensualibus requiritur tanquam formale. Et licet etiam consensus, qui utrinq; debet intercedere versatur circa rem & pretium, solus tamen perficit contractum: hinc est, quod Emptio & venditio sit contracta, dummodo de pretio conventum, licet non sit solum *princ. Inst. h. t.* pari ratione re non traditâ, Emptio Venditio nihilominus consistit. (e) Objectum hujus contractus est res seu merx à parte venditoris. (f.) Subiectum sunt personæ contrahentes Emptor & venditor. (g) Objectum à parte Emptoris est pretium. (h) Obligatur ex contractu venditor ad rem tradendam: Emptor ad pretium solvendum. De singulis singulatim infra.

Th. II.

Cum Consensum ante omnia in Emptione-venditione requiramus, repellimus eos, qui consentire (a) non possunt. Quamquam etiam speciali ratione Emptionem legibus quidam (b) prohibeantur contrahere.

(a) Quo loco habemus furiosos §. 8. *I. de inutil. stipul.* infantes §. 10. *eod.* Pupillos: quamvis is qui ab iis emit ipsis obligetur §. 9. *eod. princ. I. de auctor. tutor. l. 7. §. 1. de rescind. vendit.* Prodigos quibus bonis interdictum; horum enim instar furiosorum nulla voluntas est *l. 40. de R. I. l. 6. de V. O.* minores 25. annis in cura constituti, qui sine Curarorum Consensu res suas alienare non possunt: Secus si fiat alienatio ipso jure est nulla *l. 3. C. de in integr. restit.* (b) Sic inter patrem & filium propter jus patriæ potestatis §. 6. *I. de mutil. stipul.* nisi de rebus castrensibus

sibus *l. 2. de Contr. Empt.* Advocatum & Clientem durante lite
l. 6. §. 2. C. de postul. Medicum & Ægrotum tempore morbi l. 3. de
Extraord. Cognit. Emptio-Venditio iniri non potest. Specia-
li quoq; ratione exercere commercia prohibentur NOBILES,
ditiores & potentiores, ut scil. inter plebejos & negotiatores
facilius sit emendi vendendiq; commercium *l. 3. C. de com-*
merc. & nè perniciosæ negotiationes & monopolia ab iis
propter potentiam & divitias facilè procedant *Scotan. Exam.*
Jurid. ad dict. tit. Nolden de statu nob. cap. 22. n. 93. & seqq. qui pri-
vilegia nobilitatis per mercaturam ut per actum contrarium,
& non correspondentem nobilitati eos amittere asserit. Ta-
lem verò mercaturam intelligit, quâ comparant & revendunt,
non quâ diffrahunt fructus superfluos *ib. n. 99.*

Th. III.

Nemo alterius (a) nomine emere potest
nisi sit Procurator. (b)

(a) Si enim ejusmodi Emptio contracta fuerit, vel res
nondum est tradita emptori: Et contractus est nullus, neque
enim actio acquisita est ei, cujus nomine emptum, quia alte-
rius nomine emi non potest *l. 73. §. ult. de R. I.* neq; Emptori:
quia sibi emere noluit: *l. 6. C. Si quis alteri vel sibi sub alter.*
nom. & c. Vel est tradita: atq; ita dominium ipsi acquiritur,
dictâ l. 6. Cujac. π. C. ad ff. Si quis alteri & c. Quod eò magis obti-
net, si quis alterius nomine suâ pecuniâ emerit, tunc enim &
actionem empti, & dominium traditâ re sibi acquirit *l. 5. & 6.*
eod. Quin imò si quis sibi & tertio emerit, ementi acquiritur
actio & dominium, & id non ex parte, sed in solidum *l. 64. de*
contrab. empt. Si enim in parte consisteret saltem venditio,
venditor invitus cogeretur esse in communiione, quod fieri
non debet *l. 26. §. 4. de condict. indeb.* (b) Et tunc non aliter age-
re possumus, si sui juris sit, nisi ab eo nobis cedatur actio. Si
verò in nostrâ potestate, nobis directò actio ex empto com-
petit *l. 7. eod.*

A 3

Th. IV

Th, IV.

In Consensu (a) requiritur, ut sit liber (b) perspicuus & clarus (c) ultimó confertur in præsens (d).

(a) de eò vide, quæ diximus supra *th. I. lit. d.* (b) Invitus enim nemo comparare & distrahere cogitur *l. 11. C. de contr. empt.* nisi quibusdam casibus, ut si quis testamento emere & vendere jubeatur *l. 66. de legat. 1.* vel ratione communionis *l. 13. §. 17. de action. empt.* vel ut publicæ imediæ consulatur *l. 1. §. 11. de de offic. præf. urbi.* vide plures casus apud *Hænon. l. 1. disp. Jur. 16. th. 5.* (c) Alioquin enim contra venditorem fit interpretatio, quia in ejus potestate fuit, legem apertius contractui dicere *l. 39. de pactis l. 172. de R. I. Hænon. dict. disp. th. 4.* (d) Nuda enim promissio de emptione jneundâ contractus non est *arg. l. 55. de O. & A.*

Th. V.

Consensus ille determinetur ad certam mercem (a) Hæc autem sit in commercio (b) neque aliàs specialiter (c) legibus prohibeatur alienari.

(a) Mercem, quæ ita dicta, quod mereat pretium, latius aliquantò pro re quacunq; venali, sive mobilis sit, sive immobilis accipimus, secus *ac l. 66. de V. S.* Error autem, qui committitur circa mercem, distingvitur, vel enim est in corpore, seu specie quadam certâ: vel in materiâ seu substantiâ in genere. Si in corpore: ut si ego Servum Stichum me emere putem, tu Sempronium te vendere, Emptio nulla est *l. 9. de contr. empt.* Si in materiâ: iterum distinctio adhibenda; vel enim in totâ materiâ erratur v. c. Si æs veneat pro auro, emptio itidem est nulla *d. l. 9. §. 2. & pecunia eò nomine data condicatur l. 41. §. 1. eod.* vel in parte materiæ, ut si inauratum veneat pro aurò, valet emptio *l. 14. eod.* Tenebitur tamen venditor eate-

nus,

nus, quatenus interest, deceptum non esse emptorem *l. 21. §. 2. de act. empt. Sutholt diff. 15. apb. 7. Vide Excellentissimi & Consul-
tissimi Domini Præsidis, Patroni, Præceptoris & Hospitis mei atatem
venerandi velit at. Justinian. 13. th. 3. lit. d. Weseb. w. de contr. empt.
n. 6. :b) In Commercio illa res est, quam quis habere vel
possidere vel persequi potest *l. 34. §. 1. b. t.* Sive sit corpora-
lis, ut fundus, aurum &c. Sive incorporalis, eaq; vel univer-
salis, ut hereditas *tot. tit. de hered. & act. vend.* vel particularis,
ut nomen aliquod & Actio *d. tit. D. & C.* Sive propria sit, non
quidem emptoris, quia res quæ jam ejus est, magis ejus fieri
nequit; *§. 14. I. de action. l. 16. b. t.* nisi sub conditione ematur,
quia fortè speratur emptoris esse desinere *l. 61. b. t.* vel redima-
tur possessio rei, quæ est penes venditorem *l. 34. §. 4. b. t.* Sed
venditoris; sive aliena *l. 28. b. t.* Consistit enim talis contra-
ctus: aut enim emit quis bonâ fide rem alienam, & re ablatâ
â Dominô venditor tenetur de Evictione; aut malâ fide, & li-
cet res evicta fuerit, pretium repetere non potest *l. 27. eod. Be-
rens disp. 11. them. 1. quest. 4.* Sive sit præsens, sive futura v. c. fœ-
tus pecorum &c. & tunc si quis fœtus editus fuerit, cum con-
tractum esset negotium, venditio facta intelligitur; *l. 8. pr. eod.*
Quod si etiam jactus aleæ, captus piscium, vel avium, vel mis-
silem ematur, valet emptio, etiamsi nihil inciderit, quia spei
emptio est *d. l. 8. §. 1.* Quibus positis ab emptione excludimus
res, quæ planè commerciis hominum exemptæ, quales sunt:
Sacra: nisi tribus ex causis, ut pro redemptione captivorum,
§. 8. J. de R. D. pro alimentis pauperum l. 21. C. de SS. Eccles. pro
solutione æris alieni Ecclesiæ *Auth. Præterea si habeat C. eod.*
Religiøsæ, Sanctæ *§. 7. J. de R. D. l. 6. pr. b. t.* Publicæ itidem
& universitatis *l. 51. b. t.* Liber homo: Patri tamen vigore pa-
triæ potestatis jus vendendi liberos ob nimiam egestatem
competere asserimus; quæ tamen venditio saltem censetur
esse facta in vim oppignerationis sub spe redimendi *l. fin. C. de
patrib. qui fil. suos distr. Excellentissimus Dominus Præses velit 3.
th. 2. Cujac. w. ch. t.* Si ergò de istiusmodi re non venali ven-
ditio contracta fuerit, vel uterq; scivit qualitatem rei, & em-
ptio est nulla *d. l. 6. pr. l. 70. b. t.* vel uterq; ignoravit, & eò casu
vendi-*

venditor exceptione justæ ignorantia defenditur, restitutorque pretio, quod accepit, liberatur. Vel altero ignorante, alter scivit: Et tunc si solus emptor sciverit, emptio nulla est; Si venditor solus, actione ex empto ad interesse convenitur, & eatenus hæc emptio valet §. ult. I. h. t. l. 62. §. 1. eod. (c) Speciali ratione vendere prohibetur Emphyteuta jus Emphyteuticum, nisi consensus Domini accedat, juxta l. 3. C. de jure Emphyt. Vassallus Feudum sine permissione Domini, ad quem illud spectat c. un. F. de prohib. Feud. alien. per Frider. Tutor curatorve pupilli, minorisve mobilia pretiosa & immobilia omnia sine inquisitione Judicis & probatione causæ, interpositioneque decreti l. 22. C. de administ. tutor. Sic Ecclesiasticarum rerum venditio sine legitimo Ecclesiasticarum personarum assensu non procedit c. ult. ext. de rebus Eccles. alien. Sic marito interdicta rerum dotalium alienatio §. 1. Quib. alien. non lic. Controvertentibus rei litigiosæ tot. tit. C. de litigios. Quo referre licet arma Reipubl. hostibus, venena civibus alienari prohibita l. 35. §. 2. h. t. Vide Peinliche Gerichtsordnung Caroli V. artic. 37. §. ult. Quandoque etiam à Magistratu Civibus interdici potest de frumento non evehendo, si forte obsidionis metus, vel annonæ caritas illud postulet.

Th. VI.

E Substantialibus (a) Emptionis - Venditionis superest dispiciendum Pretium (b) cujus requisita sunt, esse certum (c) consistere in pecuniâ (d) numeratâ, tandem esse justum (e).

(a) Tria enumerantur substantialia hujus Contractus, quorum duo priora consensum scilicet & mercem quia vidimus, ad pretium nos convertimus. (b) ita dictum quasi Pretium (ubi placet Varroni) quod statuatur non ab unoquoque pro libitu, sed ab illis qui istarum rerum peritiam habent (c) §. 1. f. h. t. alioquin enim negotium erit imperfectum, si emere volenti

lenti venditor dicat: *Quanti velis, æstimaveris, æquum pu-*
taveris, habebis emptum l. 35. §. 1. b. t. Certum verò pretium
est, cujus quantitas certa est definita vel per se & simpliciter,
vel demonstratione aut relatione facta ad aliud, veluti ad
quantitatem antea determinatam, quanti tu emisti: vel in lo-
co certò existentem v. g. quantum pecuniæ in arca habet l. 7.
§. 1. l. 37. b. t. *Hænon. dicta disp. th. 8.* Licet præterea pretium
referre in tertij alicujus arbitrium & æstimationem, & vendi-
tio talis, velut sub conditione facta sustinetur. Arbitrarius enim
ille nominatim electus vel definit pretium vel non definit. Si
definit tunc illud vel æquum est, & arbitrio ejus standum, em-
ptioq; erit perfecta: Si verò immodicum vel iniquum, ad ar-
bitrium boni viri redigendum. Contrahentes enim, dum
pretium in alterius tertij arbitrium conferunt, ejus placitum
tanquam boni alicujus & æqui viri elegisse præsumuntur, l. 76.
& seqq. pro Socio l. 24. Locati. Si non definit, velut conditione
deficiente, venditio nullius erit momenti, nec ad alienum
arbitrium porro recurrendum §. 1. b. t. l. 43. de V. O. (d) nè
videlicet fiat confusio contractuum venditionis & permuta-
tionis §. 2. l. b. t. Sed si à parte emptoris & pecunia & species
datur venditori, quæritur, si nè emptio, an permutatio? Quæ-
stio deciditur ex cò, quod principaliter inter contrahentes est
actum. Vel enim primò inter eos convenit, ut pecunia de-
tur pro merce; & erit emptio, etiamsi res prævaleat pecuniæ,
quæ simul datur; vel ut res cum re permutetur: & erit per-
mutatio, licet ex post facto unà data fuerit pecunia c. ad quæ-
stiones. *Extra de Rer. permut.* Si verò non constat quid prin-
cipaliter sit actum, tunc à potiori sit denominatio, adeoque si
prævalet pecunia rei simul data, erit emptio: Si res pecuniæ,
erit permutatio arg. l. 10. de stat. hom. Quod si neq; de præva-
lentiâ constat, permutationis contractus intelligitur. Quo-
ties enim de nomine alicujus contractus ambigitur, præsumi-
tur esse innominatus l. 1. de æstimat. act, *Hænon. d. disp. th. 15 (e)* Et
si justitia commutativa & proportio arithmetica, quæ in con-
tractibus observatur, etiam hic rei æquivalens pretium exi-
gat; tamen propter hominum mores incorrigibiles dandum
B
aliquid

aliquid vitiiis humanis leges statuerunt, circumventionem in-
frà dimidium pretij, non illam dolosam, quam in tantum
abesse volunt, ut si adsit, reddat emptionem nullam, sive læsio
sit intra sivè ultra dimidium *l. 5. C. de rescind. vend.* sed quæ
contingit sine animo fallendi, tolerandò. Tolerant, inquam,
non præcipiunt, non approbant, sed non puniunt, sed cujusq;
conscientiæ relinqvunt. Et hoc est, quod *Vlpian. in l. 16. §. pen.
de minor.* & *Paulus in l. 22. §. ult. locati.* dicit: In pretio emptio-
nis & venditionis licere contrahentibus se circumvenire na-
turaliter, i. e. Natura contrahentium est, ut velint in emendò
& vendendò aliquod lucrum facere, emptoris quidem viliùs
comparandò, venditoris carius distrahendò *Gotbofr. ad d. l. 16.
de minor.* Quam circumventionem commodè dixeris Pruden-
tiam quandam negotiativam, studiumq; aliquod rei familia-
ris augendæ, *l. 8. C. de rescind. vend.* Circumscriptionem autem ista
ex re ipsâ & factò sine proposito fallendi contingit quandoq;
ex ignorantia, si venditor plus vel minus imponat, & emptor
plus vel minus solvat: quandoq; etiam ex scientiâ, ut si vendi-
tor majus pretium petat, & emptor minus offerat, non animò
decipiendi; sed ut illò remittente, hoc addente, paulatim ad
justum pretium consentiant. Quòd si autem præter opinio-
nem emptor plus vel minus justò pretium venditori obtulerit
& solverit, læsio ab alterutrâ parte inde oritur. *Dn. Frantzkius
Exerc. 11. Quest. 3. n. 10. 11. & seqq.* Quæ tamen læsio si ultra
dimidium justij pretij fuerit, consistit quidem venditio, læsio
tamen concessa est actio vel ad rescissionem Contractus *ex l. 2.
C. de rescind. vend.* vel ad supplementum præstandum ejus,
quanti tempore Contractus res venire potuit *d. l. 2. l. 8. C. eod.
c. 3. X. de empt. & vendit.* ex quo capite patet, circumventio-
nem infrà dimidium quoq; de Jure Canonico esse licitam.
*Confer. Dn. Frantzkius d. Quest. 3. Excell. Dn. Præs. d. disp. th. 6.
Oldend. Class. 4. act. 1.* ubi inter alia vel ex hac ratione leges
circumscriptionem hanc admisisse dicit, quia si ob quamvis
inæqualitatem & læsionem liceret revocare contractum, nul-
la ferè Emptio Venditio futura esset stabilis & firma. *Adde
Wesemb. d. de rescind. vend. n. 4.*

Quam primum Emptio-Vēditio perfecta,
 (a) non licet ab ea discedere (b) ne quidem
 cum Arrharum dispendio. (c) Periculum (d)
 itidem & Commodum (e) statim spectat ad
 Emptorem.

(a) Perficitur autem nudō consensu collato ad mercem
 & pretium, uti supra demonstravimus, licet, postea complea-
 tur ex parte venditoris rei traditione, & ex parte emptoris pre-
 tij solutione. (b) Nisi recedatur utriusq; voluntate: sicuti
 enim consensu est contracta, ita contraria voluntate potest
 dissolvi; idq; re adhuc integra, i. e. neq; pretiō solutō, neque
 merce traditā, §. ult. I. quib. mod. toll. oblig. Alioquin enim so-
 lus consensus non sufficit, sed insuper requiritur restitutio
 mercis ab emptore, pretij a venditore l. i. C. Quando lic. ab empt.
 disted. Alterutri verō contrahentium illud non licet l. 3. C. de
 rescind. vend. ne quidem si duplum a venditore offeratur l. 6. eod.
 (c) Quamvis scil. emptor arrhis carere, & venditor duplicatas
 reddere velit. Arrhæ enim dantur animō magis confirman-
 di & astringendi contractum, non infirmandi. Neq; obstat
 princ. huj. tit. illud enim loquitur de emptione perficiendā in
 literis. (d) Rei venditæ licet non traditæ periculum perti-
 net ad emptorem §. 3. I. b. t. Perfecta enim venditione em-
 ptor quocumq; vult rem petere & auferre potest; si itaq;
 cessaverit, intereaq; res perierit, vel deterior facta fuerit, sibi
 meritō & suæ moræ, quæ alteri nocere non debet l. 134. de R. I.
 imputare debet. Sunt tamen casus quibus de periculō rei
 etiam venditor tenetur, ut 1. Si moram fecerit in tradendō, aut
 aliàs dolum & culpam circa rem commiserit l. 17. de peric. &
 comm. rei vend. 2. Si paciō custodiam ejus usq; ad traditionem
 suscepit §. 3. I. b. t. 3. Si non species certa, sed genus ali-
 quod v. c. bos, equus vendatur. Emptori enim interitus rei
 aut certæ speciei nocet l. 14. §. 1. de peric. & comm. rei vend. ge-
 nus

mus autem non interit. 4. Si res numero, mensura & pondere constantes venditæ fuerint: Harum enim rerum periculum ante adnumerationem, ponderationem, & adimensionem respicit ad venditorem, quia his ita peractis, demum venditio perfecta dicitur; nisi in universum illæ res, quantæcunque fuerint, venierint, quo casu spectat ad emptorem periculum *l. 35. §. 5. de contr. empt.* 5. Si res vendantur degustationem exigentes, ante illam periculum sustinet venditor, quia tunc plenissimè venditæ cæsentur, quàm fuerint degustatæ *l. 1. princ. de peric. & comm. rei vend. Vide Olded. d. Class. 4. act. 1.* Extra hos casus venditor rem amissam non præstat, sed, quia adhuc Dominus est, cedit emptori actiones: rei vindicationem, conditionem furtivam, actionem furti, L. Aquiliæ itidem actionem, si res vendita sine dolo & culpa venditoris interierit, vel deterior facta fuerit *§. 3. I. b. t. (c) d. §. 3. b. t. l. 10. de R. I.* Commodum autem hoc consistit, vel in iis quæ rei venditæ accedunt *v. c. per alluvionem l. 7. de peric. & comm. rei vend.* vel in iis quæ ex re nascuntur, ut sunt fructus arborum, foetus animalium *l. pen. C. de act. empt.* vel iis, quæ occasione rei proveniunt, ut mercedes ex operis, vecturis, pensiones ex locatione *l. 13. §. 13. de act. empt.* Hereditate tamen venditâ, si unus heredum deficiat, ejus portio non accrescit emptori, sed venditori: quia in hac venditione inspicitur tempus contractus, *l. 1. §. 1. de hered. vel act. vend.* Neq; enim per istam venditionem Venditor desinit esse heres; Emptor verò neq; repudianti conjunctus, neq; voluntate defuncti vocatus *Excell. Dn. Preses d. velit. th. 5. Vngep. Exerc. 11. q. 3.*

Th. VIII.

Diversa est ratio Vēditionis, quæ in Scriptis (a) celebratur: In hac enim priusquam Scriptura omnibus numeris absoluta fuerit, tanquam imperfectâ (b) impune (c) licet pœnitere. Conditionalis (d) itidem Venditio,

ditio, antequam Condicio fuerit impleta,
imperfecta(e) censetur.

(a) Puta si ab initiō contrahentibus placuerit contractum in scripturā celebrari debere, nec antea emptionem vel le perfectam, priusquam instrumentum legitimè confectum fuerit. Aliās enim si ita non convenit, contractus erit completus, licet Scriptura imperfecta, ut quæ ex post factō supervenit, nec facit ad perfectionem, sed ad probationem. (b) Emptio enim ista quodammodo sub conditione contracta censetur, ante cuius existentiam, h. e. antequam & concipiatur, & omnibus suis partibus ac requisitis absolvatur, non potest dici perfecta *l. 17. C. de fide instrum.* Ex eō tamen non degenerat in literarum obligationem, quia nudus consensus scripturā declaratus absolvit contractum, & scriptura non ex natura contractus, sed ex accidenti, pactō scil. intervenit. *Sutholt dis. 15. th. 9. Pat. anal. inst. ad pr. b. t.* (c) nisi arrharum nomine aliquid datum fuerit, quia tunc emptor arrhas amittit, venditor autem duplum propter voluntatis mutationem restituere cogitur *d. l. 17. C. de fid. instrum.* Arrhæ autem hic non sunt argumentum Emptionis - Venditionis contractæ, sed ad id dantur ab emptore, ne, dum tractat de re emendâ, quispiam eum prævertat. (d) v. c. Si Stichus tibi intrâ certam diem placuerit, erit tibi tota aureis emptus *§. 4. b. t. (e) l. 7. b. t.* Cum itaq; ante conditionem existentem nulla potest ex venditione nasci obligatio *l. 8. princ. de per. & comm. rei vend. periculum erit venditoris.*

Th. IX.

Aliquando tamen etiam rescinditur venditio perfecta, vel aliunde per Retractum.

(a) sive Gentiliūm (b) ex jure sanguinis: sive alium ex aliâ causâ Vicinitatis scil. & So-

B 3

cieta-

cietatis: Vel ab ipsis Contrahentibus ex Pa-
ctis (c) conventis.

(a) Quamvis naturali libertate cuilibet in quemlibet res
suas transferre licitum sit §. 40. I. de R. D. quia tamen quan-
doq; proximo nostro vel sanguine, vel habitatione, vel socie-
tate nonnunquam molestia, sæpè etiam damnum inde solet
creari, meritò illi jus Prælationis concessum, & Venditor re-
rum immobilium distractionem denuntiare tenetur, quò, si
velit, ipse extraneo emptori præferatur. Denuntiatione
autem istâ prætermisâ, procedere ad beneficium retractus, &
oblatò pretiò quod solutum est, resistas sibi vindicare potest.
Vide Constit. Frider. de jure Protimiseos & ad illam Gothofr. (b)
Præstat enim bona immobilia in familiis conservari. Jus autè
illud competit propinquioribus consanguineis & ijs qui ven-
ditori sunt heredes futuri, *arg. l. 14. C. de rei vindic.* Proximi-
oribus verò reventibus admittuntur remotiores: modo ve-
niant in tempore, siquidem petitioni retractus proximitatis
annò & die præscribitur teste *Wesemb. de resc. vend. n. 6. ex c.*
Titius lib. 2. F. §. 26. Si de feudo defuncti content. c. 1. §. porrò 2.
F. Qualit. olim pot. feud. alien. (c) Qualia sunt: de Retroven-
dendo, Lex commissoria, & Addictio in diem. de singulis se-
orsim infra.

Th. X.

Pactò de Retrovendendò Venditor sibi
reservat Jus redimendi (a) Rem venditam
(b) ab emptore (c) vel simpliciter omni
tempore (d) quo ipse vel heres (e) voluerit,
vel intra certum tempus.

(a) l. 2. C. de pact. int. empt. & vend. Datur autem venditori ex
hoc pacto Actio directa ex vendito, si adjectum incontinen-
ti: si ex intervallo, actio præscriptis verbis d. l. 2. Priusquam
verò agit, necesse est, ut emptori offerat, pretium, & quidem
totum

ortum: partis enim oblationem invitus recipere non cogi-
tu r. *arg. l. 13. §. 8. de act. empt.* (b) Rei venditæ dominium, re-
cepto pretio per traditionem iterum in venditorem trans-
ferre tenetur. Si autem fuerit alienata, agetur de eò, quod
interest, alienatam non esse. *l. 1. de act. empt.* Commoda verò,
quæ ad emptorem ante oblationem pervenerunt, non resti-
tuit *d. l. 2.* Fructus tamen pendentes, ut inter illum & vendi-
torem pro ratâ temporis dividantur, æquum est. (c) Intendi-
tur illa actio contra emptorem ejusq; heredem, non verò
tertium possessorem, quia est ex contractu & pacto, adeoq;
personalis. (d) Utrum autem huic pacto spatium 30. annorum
præscribi possit, non æquè inter Doct. constat. Negat. Dn.
Frantzk. *Exerc. 5. Quest. 6. n. ult. Hoen. disp. Pand. 5. th. 5.* &
alij, quibus & nos subscribimus. *Confer. Constit. Elect. August.*
part. 2. c. 1. Mynsing. cent. 1. obs. 16. ubi id ipsam in Camera observari
asserit. (e) In contractibus enim non tantum nobis, sed etiam
heredibus cavemus: Quin imò etiam tertio cuidam hoc
jus cedi potest, quia non est jus personæ annexum, sed est
commodum ex contractu, quod in alios transire potest.

Th. XI.

Lege (a) Commissoria (b) continetur, nisi
intra certum diem Pretium exsolvatur, rem
debere esse inemptam (c).

(a) dicitur Lex seu pactum, quod legem contractui det (b)
Commissoria, quod qui in eâ committat, in universam ven-
ditionem committat, siquidem venditor velit illam habere
pro infecta, *Cujac. w. D. h. t. Wesenb. w. eod.* Lex autem com-
missoria utiliter adjicitur contractui emptionis, & qui-
quidem in gratiam venditoris, qui plerumque in solutione
pretij solet vexari: Inutiliter contractui pignoris in gratiam
Creditoris, ut scil: debitore ad statutum diem non solvente,
pignus ejus permaneat. Debitor enim pecuniâ egens ad
que

quæ graviora se non adstringeret? *l. fm. C. de pact. pig. (c)* i. e. potest agere venditor contra emptorem licet non interpellatū *l. 4. §. 4 de lege commiss.* ut venditio rescindatur, & res cum perceptis fructibus restituatur, simul etiam condemnetur ad id, si quæ deterior per eum facta *d. l. 4. princ.* Si verò prætermisâ commissoriâ petere pretium velit, id ei permissum *l. 3. d. l. 4. §. 2. eod.* Electâ autem unâ illarum, variatio illi denegata *d. l. 4. §. 2. l. pen. eod.*

Th. XII.

Deniquè per Pactum Additionis in diem (a) Emptio-Venditio pura (b) si quid amplius ab alio offeratur, rescinditur: & quæ est Conditionalis (c) perficitur, nisi intra certum tempus, melior conditio (d) superveniat. (e).

(a) Addicere est licitanti rem auferendam permittere, *Ol. dend. d. l.* (b) v. c. domus ista 1000. aureis tibi empta esto, eâ lege tamen, ut si spatiò 30. dierum meliorem conditionem quis offerat, liceat ab emptione recedere. Quæ venditio sicuti pura & perfecta est, ita omne periculum, lucrum & damnum intereâ temporis spectat ad emptorem *l. 2. §. 1. de in diem addict.* meliori autem conditione allatâ rem cum fructibus restituere venditori tenetur, qui etiam rursus refundit impensas, si quæ erogatæ fuerint *l. 16. l. 6. b. t.* (c) v. c. Si intra Calendas proximas melior conditio non offeratur, emptio perficiatur: quo casu neque dominium rei, neq; periculum vel commodum pertinent ad emptorem, nisi elapsus sit dies neque melior conditio à quopiam oblata. (d) Quæ talis esse censetur, si pretio aliquid sit additum, si solutio offeratur facilior vel maturior, si locus oportunior solvendo pretio dicatur, & si generaliter quid accedat, quod ad utilitatem venditoris pertineat *l. 4. §. ult. b. t.* (e) Si superveniat, necesse est, ut emptori illâ denunciaret, ut si velit, ipse quoq; quod alius adje-

adjecit, superaddat *l. 7. § 8. b. t.* Si verò nolit, recedat ab
emptione, & locus fiat posteriori emptori.

Th. XIII.

Hactenus dispeximus aliquantisper Em-
ptionem Venditionem ex Pacto formatam:
jam revertimur ad eandem, ut est simpli-
citati & formæ propriæ relicta, & quæ
superfunt Actiones inde descendentes con-
siderabimus: Sunt autem Empti & Ven-
diti, quarum utraqûe Directa (*a*) & Bonæ
Fidei (*b*).

(*a*) Quia per utramqû; agitur ad id, de quò contractus est
principaliter initus *Suth. d. diff. 15. th. 25.* neque enim hic po-
tior est causa emptoris, quam venditoris, vel contra *Cujac. w.*
C. de contr. empt. Quibus nonnunquã intervenit damnorum,
usurarum, sumptuum, Evictionis præstatio (*b*) *§. 28. I. de action.*
l. 11. §. 1. de act. empt. actionibus enim his non tantum id per-
sequimur, quod in obligationem expressè est deductum,
sed quod alterum alteri ex bono & æquò præstare oportet.

Th. XIV.

Empti Actio competit Emptori soluto
pretio (*a*) adversus Venditorem ad rem
(*b*) præcisè (*c*) tradendam (*d*) & vacuam
(*e*) Possessionem præstandam.

(*a*) Quoniam contractus ab emptore velut indigente re
empta cœpisse censetur, æquum est, ut is acturus à sua parte
contractum impleverit solvendo pretium & quidem totum
l. 13. §. 8. de act. empt. vel alio modo satisfecerit l. 53. de contr.

C

empt.

empt. vel fides ei a venditore sit habitâ; aliâs enim semper exceptione non soluti pretii repellitur. (b) Et quidem si res corporalis, vera fiat traditio: Si incorporalis, quasi traditio seu cessio in juribus emptis, & cautio quâ venditor caveat, per se non futurum, quò minus emptor re ista utatur *l. 3. §. 2. b. t.* Res autem tradatur cum omnibus adhærentibus: sic v. c. domo vendita etiam alienata censentur omnia terræ & muris affixa, *arg. l. 44. de eviction.* Sic fundo alienato venditionem fructus pendentes sequuntur *l. ult. §. pen. Quæ in fraud. credit. fact.* Multò magis venditor præstare tenetur fructus, qui post contractam venditionem percepti sunt *§. 3. I. b. t. l. 13. C. de A. empt.* Vide quæ supra diximus *th. 7. lit. e.* Sicuti autem commoda sequuntur rem alienatam, ita etiam onera: proinde emptor tributa, non solum ex eò tempore, quo ipse rem possidet, sed etiam reliqua, quæ anteriores possessores insoluta reliquere, exsolvere cogitur, *per. l. 2. C. sine censu vel reliq. fund. compar.* Fiscus enim jure suo sequitur possessorem rei, nec curat conventiones inter privatos intercedentes, & in tributis non tam personæ, quam prædia conveniuntur *l. 7. de publican. & vectig. l. 3. C. de annon. & tribut.* Vide Cujac. *ww. in dict. tit. C. Sine censu vel reliq.* Deniq; rem talem tradat necessè est, qualem esse tempore contractus prædicabat; quod nisi fiat, Edictio Edilitio deceptis emptoribus succurritur *l. 1. §. 2. de Edilit. Edict.* vel enim agunt actione Redhibitoriâ adversus venditores ad rem vitio affectam restitutio pretio recipiendam; vel actione Æstimatoriâ seu Quanto minoris ad tantum pretij restituendum, quantum minoris propter vitium, cum veniret, fuerit. Si verò post contractam venditionem res damnò affecta fuerit, disting. vel enim mora circa traditionem est tantum in Emptore, & venditor tenetur saltem de dolò *l. 17. l. 5. de peric. & comm. rei vend.* Vel est tantum in venditore, & tum præstat dolum, latam & levem culpam *l. 13. §. 16. de act. empt.* (c) Nam præstandò interesse non liberatur, *per. l. 6. C. de rescind. vend. l. 50. de act. empt. ibi compellitur. l. 11. §. 2. eod. ibi oportet. l. 46. eod. cogetur. §. 2. f. de donat.* Ipsa enim res, non factum est in obligatione. Leges, quæ nobis videntur

tur contrariae, ut *l. i. D. & l. 4. & 10. C. de act. empt.* vel sunt accipiendae de casu, quo emptor agit ad rem, & praeterea ad id quod interest, rem justo tempore traditam non esse: Vel quo emptor mavult sibi praestari interesse; vel quo venditor facultatem rei traderendae non habet. *Excell. Dn. Praeses dict. velit. th. 4. lit. C. Frantzk. Exerc. II. Quest. 1. Riemer. dec. 10. q. 9. (d)* Et si venditor sit dominus, transferat dominium in accipientem: Si non, causam usucapiendi; non enim praecise cogitur rem emptoris facere *l. 25. §. 1. de contr. empt.* Sed tantum, ut ei tanquam domino habere liceat. Quod si tamen res nondum usucapta a domino evicta fuerit, venditor tenetur de Evictione *l. II. §. 2. de act. empt.* Singularia quaedam de evictione rerum incorporalium vide apud *Cujac. & D. de hered. & act. vend. Wesenb. & eod. (e)* Ne enim emptori impediatur usucapio, necesse est, ut alius neq; detineat, neq; possideat *l. 25. de usucap.*

XV.

Venditi Actio competit venditori contra emptorem ad pretium dandum (a) cum usuris (b) post moram.

(a) Dari vero pretium adeo necesse est, ut etiam si res tradita sit, non tamen acquirat eam emptor, priusquam pretium solverit, nisi alio modo satisfecerit, veluti expromissore, Fidejussore, aut pignore dato; vel venditor fidem ejus secutus fuerit *§. 41. §. de rer. divis.* Si vero non sit tradita, ut tradere insoluto pretio venditor non teneatur. Dare autem pretium, est venditorem ejus dominum facere *§. 14. §. de action.* id quod praestare emptor est obligatus *l. II. §. 2. de act. empt.* Neq; enim in pecunia, utpote re fungibili & generis tale quid obtinere potest, quod secundum th. praec. lit. d. in re debita in specie observatur. (b) Scil. a die traditionis: quod utiq; justissimum est, cum interim emptor fructus reivenditae lucratur, venditore & pretio & recarente *l. 13. C. b. t.* Tantum

de amplissima Emptionis, Venditionis materia!

Pre-

Prestantissimo Dn. Respondenti,
SUO

De Emptione - Venditione disputanti,

Quam tibi firmus adest animi consensus & ardor,
KUNDTREICHI, ut veniat retinenda scientia Juris?
Nec spes vana subest. Nam se Themis ipsa sacrata
Difficilem non præbet ei, qui Mentis alumnus
Possessorq; bonæ est, facileq; assentit ementi.
Tu precium sudando paras, studioq; tenaci.
Et plura ingenio spondes, majoraq; vulgo;
Hinc mercem egregiam Juris, propriamq; tenebis.

Gottfriedt Suevus D.



*Eximio Dn. CHRISTOPHORO Kundenreich / Fautorè
ac Amico meo suspiciendo.*

Quem quondam ad celebres ripas, Academia, Varni
experta est artes cum sedulitate colentem,
non trahit ignavam captata per otia vitam;
sed totus Phœbi est, cæptumq; hinc gnaviter urget.
Cernitis ut studij jam publica signa ministret,
Dum Juris nodos ac legum ænigmata solvit.
Mercator veluti longe lateq; paratas
extrudit tandem multo cum fœnore merces,
sic & CHRISTOPHORUS, quas cum sudore paravit
exponit nobis merces, laudemq; meretur.
Det Deus ut studium hoc ipsi bona plurima præstet,
Ut ferat hinc Res priva suum, Res publica fructum.

L. m. feci

M. Andreas Lölhevvel Reg: Prus.


F I N I S.

05 A 2204

ULB Halle

3

003 782 476




VD 17

Ad.







B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO JURIDICA

De

DISPUTATIONE

IN CONDITIONE,

Quam

irante Divina Clementia

ET

te Magnifico & Amplissimo

Collegio Juridico.

Sub

PRÆSIDIO

VIRI

ni, Consultissimi & Excellentissimi

FRIEDT SVEVI

abl. Celeberrimi, Curia Electoralis,

Facultatis Juridicae Assessoris gravissimi,

Præceptoris & Hospitis sui ætatem

venerandi

Publico Examine subijcie

OPHORUS Kundenreich

Colberg. Pomer.

In Auditorio Jctorum

ad diem Januarij. 3 Febr.

WITTEBERGÆ

e JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

ANNO 1648.

Viro Admodum Reverendo, & Excellentissimo Dn. M. Joac. Faschis, Theol. Cathedr. Colb. & Quam merito. & Colb.